S. AVRELII
AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
SERMO
IN NATALI
S. IOANNIS BAPTISTÆ

Nunc primùm in lucem editus, addita non ingrata quadam obſeruatione.

Studio & Opera

IO. BAPTISTÆ MARI ROMANI
Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Angeli in Foro Piſcium Canonici.

S. Maria de Scala

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Typis Ludouici Grignani. MDC. XLVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Gennadius de Viris Illuſtribus in Auguſtino.

Quis enim gloriatur omnia, ſe illius habere, aut quis tanto ſtudio legat, quanto ille ſcripſit?

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſtri Sac. Palatij Apoſtolici.

A. Vitricius Epiſc. Alatren. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hiacynthus Pandulphus Socius Reuerendiſſ. P. Sac. Apoſtol. Mag. Ord. Prædic.

EMI-

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI IVLIO S. R. E. CARDINALI MAZARINO.

IOANNES BAPTISTA MARVS F.

HOC Opuſculum tibi debetur (PRINCEPS EMINENTISSIME) Si multis, vno conſpicuè titulo: quia Gallijs omnium gratia moderaris. Redeat ergo ad

te, quod ex Gallijs profectum eſt ad me, vt quemadmodum cætera flumina, ſic riuulus iſte redeat in mare ſuum. Tuum erit, PRINCEPS, latiſsimo gratiæ tuæ ſinu excipere, & fauore tuo, ſi mereor, redundare. Vale.

LECTORI.

SIngulari humanitate Iacobi Sirmondi è Societate Ieſu, fama ſuper æthera noti, prodit in lucem nouus Sermo Sancti Auguſtini de Sancto Ioanne Baptiſta (binis tamen in locis hiantibus relictis ſpatijs, quod nempè ita in M.S. & Originali traditum ob veſtutatem reperitur) quem ad nos tranſmiſit, vt cæteris Sermonibus eiuſdem Auguſtini per nos editis hunc etiam adderemus. Hactenus enim latebat in Collectorio Sermonum Sancti Auguſtini per Robertum de Bardis Cancellarium olim Eccleſiæ Pariſienſis concinnato, & in Bibliotheca Regia conſeruato: Antiquiſſimus non quidem is auctor, ſed minimè contemnendus, vt ipſe Sirmondus in ſua præfatione nouorum Sermonum Sancti Auguſtini & paſſim in ſuis notis ad eoſdem teſtatur; qui annis abhinc tercentis dictum Collectorium Sermonum Sancti Auguſtini, ſic enim appellauit, ſingulari ſtudio, & induſtria condidit: vniuerſoſque pro diuerſa ratione argumenti quinque in partes di-

ſtribuit. In parte igitur ſecunda, quæ eſt de Solemnitatibus & Feſtis noui Teſtamenti, inter Sermones, qui de Sancto Ioanne Baptiſta habentur, quarto loco numerat hunc, qui incipit. Quietis & parua vox ſufficit. *Agnoſces hìc ſtatim Lector genium, & facundiam Auguſtini Egregij Litterarum omnium Magiſtri, ac ſuperni luminis claritate radiantis: Agnoſces ſimiles ſententias ac conceptus in alijs Sermonibus & tractatibus Sancti Io: Baptiſtæ, nec non vbicumque exagitandis hæreticis argumentum ſeſe offert, inſtituto Auguſtini ſolemne, vt ex præſenti Sermone deprehenſurus es, pluſquam ex vngue Leonem, aut ex claua monſtrorum domitorem Eccleſiæ militantis Herculem; quod ipſum oſtendimus in calce huius Opuſculi, ne cuipiam dubitandi ratio eßet: quando deceptioni proximum ſit ex vno verbo peregrino, ſiue phraſi minus compta, alicuius Sermonis Sancti Auguſtini cætera abiudicare, vt notauimus in præfatione ad Lectorem in editione Sermonum eiuſdem Sancti Auguſtini; quos ab hinc biennio in lucem edidimus, & in quibus Lector, te benignè monitum velim, vt ſcias, quod vbi dictum eſt in præfatione, nos interdum phraſim correxiſſe, non alium ſenſum habere, quàm ex Scriptoris vitio corruptam grammaticam reſtituiße ordine conſtructionis ſeruato, aut vbi ſenſus penitùs ob ordinem præpoſterum peruerſus erat, omnia ſuo loco tantùm reddidiße (quod idem ſæpè ſæpiùs in alijs peruetuſtis M. SS. Codd. ob inſcitiam ſcriptorum deprehenditur) cùm noſtra pro Auguſtini dictis non vendamus. Diuino igitur miraculo tribue, ſcripta tanti Eccleſiarum Doctoris per tot ætatum diſcrimina fuiſſe*

con-

conſeruata, cum anno poſt eius mortem concremata Hipponenſi Ciuitate à furentibus Vandalis, ijſque Arrianis, ipſa eius Hipponenſis Bibliotheca illæſa permanſerit. Et quid mirùm, ſi in tanta rerum copia diuinitùs ſeruata, nobis quoque ex vberrima meſſe, aliquas vt ita dicam ſpicas legendas Diuina prouidentia reliquerit, cum capillus etiam de capite Sanctorum non pereat ipſo rerum Domino atteſtante. Collige igitur, bone Lector, accuratè fragmentum iſtud ne pereat, nec cum cæteris, debilioris ſtomachi, qui copiam faſtidiunt, contemnendum putes, doctus, ſanum ſtomachum nunquam faſtidire. Quid enim verò laborant euanidi homunciones, in inueſtigandis prophanorum eruditionibus & monumentis, vt lucillent, & meridiem nictantes declinant in ſacris perſcrutandis, quorum & labor beat, & fructus, in minimis etiam fragmentis, maximus, gratia, quæ ſemen eſt gloriæ, locupletat. Turpe eſt in vnius voculæ, neſcio cuius Siſennij, inuentione tibi plaudere, ac ſi auream concham inueneris: & in inuentione verbi ad cæleſtem beatitudinem erudientis nauſeare, ac rugato naſo ſubſannare, quaſi damnum feceris; & ita deſpiciendo, & irridendo ſacrorum Sectatores putare pro nihilo habendos. Turpe etiam pro eruendis neſcio quibus antiquitatũ quiſquilijs in viſcera terræ penetrare, & viſcera opum profundere: & luculentas haſce diuitias noua & vetera omnia locupletiſſimo ſinu complexas inſuper habere, vt vel obolo parcas. Quid enim, ſi inſignem theſaurum doctrinæ ſanctioris, quem hic tradimus, diuinitùs oblatum inuenias? Accipe ergo hilari animo, & cum cæteris per nos editis, quaſi

in manipulum alligatum in ſinu tuo velut in horreo ſecretiori recondas; vndè inimicus ille zizaniorum ſeminator ex doctrina huius columnæ veritatis tot vulneribus debilitari queat, quot Antiquarius Domini pro tempore huius mirifici Doctoris verba deſcripturus eſt. Placuit inſuper obſeruationem vnius loci, quæ nobis digna pro re videbatur, tibi tradere, quam ad calcem Sermonis habebis: Interim fruere & cum tibi perſuaſeris totum noſtrum ſtudium cæleſtibus hiſce margharitis reperiendis tuo & publico bono fatigari, noſtri apud Deum memor eſto. Vale.

SANCTI AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI.

SERMO IN NATALI S. IOANNIS BAPTISTÆ.

QVIETIS & parua vox ſufficit. Si autem vultis fratres quieti audire, nolite habere cor in auribus, ſed aures in corde. Hodiernum diem Beati Ioannis Baptiſtæ ſolemnitati illuxiſſe tradit, & credit Eccleſia. Oportet autem hoc de ipſo die credere, quod ſine varietate totus Orbis agnoſcit. Sed quia Ioannis eſſe diem nemo dubitat, non Ioannis, qui Euangelium ſcripſit, ſed Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, qui tanto magnus appa-

apparuit, quanto ſe humilem præbuit, dicens cum ipſe Chriſtus putaretur, non ſe dignum corrigiam calciamenti ſoluere ei quem Dominum agnoſcebat, vt amicus eſſe mereretur. Nonnulli autem putant paſſionis eius diem hodie celebrari, ſciat prius ſanctitas veſtra, Natiuitatis eſſe diem, non paſſionis; ex lectione quippè Euangelica inuenitur eius natiuitas ſex menſibus præcedere Domini Natiuitatem. ' Et quoniam diem Natiuitatis Domini octauo Kalendarum Ianuariarum die conſenſus tradit Eccleſiæ, reſtat vt hodiernus dies Natiuitatis Ioannis intelligatur. Præceſſit ergo Ioannes Dominum, non tanquam Magiſter diſcipulum, ſed tanquam Præcurſor iudicem, non vt ſuperimponeret poteſtatem, ſed vt præberet officium. Ipſius autem teſtimonium Ioannis de hac re ſic ſe habet: *Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat.* Poſt Ioannem venit Dominus na-
Ioann. 1. ſcendo de Virgine MARIA non de Patris ſubſtantia. Duas enim Natiuitates Domini accepimus, vnam diuinam, alteram humanam; tamen vtramque mirabilem. Illam ſine Matre, iſtam ſine Patre: illam æternam, vt crearet temporalem, ' hanc temporalem vt præſtaret æternam. Ille enim de quo dicit Ioannes, non Baptiſta, ſed Euangeliſta, Quia *In principio erat*
Ioann. 1. *Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & quia *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil:* ille tantus in forma Dei æqualis Patri, ille ſine tempore fabricans tempora, ille ex nullo ſæculo

culo ante omnia ſæcula Iudex ſæculi, factus eſt tàm paruus, vt de fœmina naſceretur: ſed manſit tàm magnus, vt à Patre non ſepararetur. Ei parentes obſequium & teſtimonium tamquam lucernæ venturo diei omnes Prophetæ prænuntiantes dum ante ipſum naſcendo venerunt, poſt ipſum credendo adhæſerunt. Oportebat enim, vt prænuntiaretur venturus, miracula facturus, quibus miracula benè intelligentibus iudicaretur Deus: humano autem aſpectu videntibus appareret homo, paruus ad paruos, ſed humilis ad ſuperbos: paruitate ſua docens hominem, vt ſe agnoſceret paruum, ne non grandeſcendo, ſed tumeſcendo ſe crederet magnum. Eſt enim ſuperbia non magnitudo, ſed tumor. Vt ergo generis humani iſtum tumorem ſanaret ipſe medicus, ipſe medicina, non ſolum medicamentum adhibens, ſed medicamentum ſe faciens apparuit ante homines homo, offerens hominem videntibus, Deum ſeruans credentibus. Aſpectus enim humanitatis eius ſanauit infirmos, contemplatio diuinitatis eius quærit firmos: & nondùm erant homines, qui Deum viderent in homine: nec poterant videre niſi hominem, nec tamen ſpem ſuam ponere debent in homine. Quid ergo fieret? Homo hominem videre poteſt: homo hominem ſequi non debet. Deus ſequendus erat, qui videri non poterat: homo ſequendus non erat, qui videri poterat. Vt ergo exhiberetur homini & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo. O homo

mo

mo propter quem Deus factus eſt homo; aliquid magnum te credere debes: ſed deſcende vt aſcendas, quia & Deus deſcendendo factus eſt homo. Adhæreſce medicamento tuo, imitare magiſtrum tuum, agnoſce Dominum tuum, amplectere fratrem tuum, intellige Deum tuum. Hoc ille tantus & tantillus vermis non homo, ſed per quem factus eſt homo. Hoc ergo ille, quid Ioannes, niſi quod de illo Dominus, niſi quod de illo verax, niſi quod de illo veritas dicit. Si enim ipſi Ioanni debemus credere de veritate, veritati non credimus de Ioanne? dicat teſtimonium primò veritati particeps veritatis, & dicat teſtimonium homini conditor hominis. Primo audiamus quid Ioannes de Chriſto, & deindè quid Chriſtus de Ioanne. Priorem audiamus, ſed poſteriorem intelligamus. Prior loquatur qui prius natus eſt, ſed confirmetur per eum
Ioann.1. à quo factus eſt. *Poſt me,* inquit, *venit, & ante me factus eſt.* Hic iam qui credunt factum ante cætera, per quem facta ſunt omnia, calumniantur his verbis, vel per hæc verba nobis, & dicunt. Ecce quia factus eſt: Ioannes dicit. *Poſt me venit, & ante me factus eſt.* Expone mihi quid ſit, *Ante me factus eſt.* Verba illorum dico, & ea diſcutienda propono. Soletis, inquiunt, dicere, quando aliquid tale de Chriſto dicitur, vt eum Patre minorem oſtendat, quod ad hominem ſit referenda ſententia; vt quod in forma Dei eſt, æqualis ſit Patri, quod autem ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinē hominum factus, & habitu

bitu inuentus vt homo, maior ſit Pater. Quid ergo dicitis ad hoc quod Ioannes ait, *Ante me factus eſt?* Audi quid dicamus: ſed prius illud vide quod Apoſtolus vtrumque diſtinguens, & vnum tamen in vtroque eodemque commendans, non dixit, formam Dei accipiens. De forma vero Dei quid dixit? *Cum in forma Dei eſſet*, reſpiciens ad illum qui vocatus erat antè illum, in cuius Euangelio eſt. *In principio erat Verbum*: immo reſpiciens ad id lumen, vnde & ille hoc dixit, neque enim dixit Ioannes. In principio fecit Deus verbum: qui poſſet dicere, ita vt dixit Moyſes, quia de creatura facta à Domino Deo loquebatur, *In principio fecit Deus Cælum & Terram*. Cum ergo ille ſi hoc ſentiret, quod Arriani ſentiunt poſſet dicere, In principio fecit Deus Verbum, non hoc ait, ſed ait. *In principio erat Verbum*, Quod in principio erat factum non erat. Neque enim præceſſit aliquid de facto Verbo. Omnia enim quæ Deus fecit, Verbo fecit. *Dixit, & facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* Inter dicentem vt fiat, & quod factum eſt à dicente plurimum diſtat. Sed ſi dicens eſt, Verbum habet. Si Verbum habet, per Verbum fecit: ſi per Verbum fecit, Verbum non fecit. quare inquiunt? An non audiſti & de terra, *Terra erat inuiſibilis & incompoſita*? Si propterea inquiunt dicis Verbum factum non eſſe, quia dictum eſt, Verbum erat: nec terra facta eſt, quia dictum eſt terra erat. O cœca & hæretica inſania. Attende, ſi eſt vnde attendas, audi ſi eſt vnde audias; ne ſonus inaniter aurem percu-

Geneſ. 1.

percutiat, cuius cor veritas non illuſtrat. Verba eiuſdem ſcripturæ dicturus ſum, quæ ibi inueniſti cum legeres, & prætermiſiſti cum litigares. Nempè propterea putas tale aliquid dictum de Verbo Dei, quale dictum eſt de terra, quia dictum erat, *Terra erat inuiſibilis & incompoſita*. Ego tibi in hoc libro Geneſeos ſuperiora verba recitabo, quod antequàm diceret ſcriptor Dei famulus, *Terra erat*, vt appareret quia facta erat, priùs dixit. *In principio fecit Deus Calũ & Terram.* Ecce ego priùs tibi edidi terram factam, & factam vtique à Deo, ſonante Scriptura, & in aures recuſantis irrumpente; *In principio fecit Deus Cælum & Terram.* Facta erant hæc, ſed nondùm ornata, nondùm declarata. Terra nondùm diſtincta, ſed tamen iam facta. Ne autem putares continuò terram factam ſic fuiſſe, vt nòn in ea eſſet quod ornaretur, ſubſecutus ait, facta erat quidem, quia in principio fecit Deus Cælum & Terram; terra autem quam fecit Deus, adhuc inuiſibilis erat & incompoſita. Oſtendit tibi qualis erat, quæ facta erat, non quia erat quæ facta non erat. Poterat ergo dicere Ioannes, In principio fecit Deus Verbum. Verbum autem erat. Quomodo, In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, terra autem erat, vt iſte eſſet ordo verborum. In principio fecit Deus verbum, & verbum erat apud Deum, vt intelligeremus quia hoc verbum erat apud Deum, quod verbum fecerat Deus: Nunc verò audis, *In principio erat Verbum*. Quid quæris anteriora factus extremior? Extremior enim tu in errore tuo factus es. De

imo

imo loqueris, & ad ima reſpicis, vellem ſi de imo loqueris, vt ſurſum cor tenderes, & clamares de profundo ad Dominum; rumperet nubes caliginis carnis tuæ; aperiret oculos humilitati lux, quæ venit in humilitate: Videres; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ. Hoc erat in principio apud Deũ.* Dicat & Paulus. *Qui cum in forma Dei eſſet.* Quid Philipp. 2. de humana natiuitate dicit Ioannes? *Et verbum caro factum eſt.* Dicat & Paulus, *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Quid ergo dicebas de verbis Ioannis Baptiſtæ? Eadem mihi nunc ea repete, nunc ea loquere. Quid ait Ioannes Baptiſta? *Poſt me venit:* agnoſco Natiuitatem, ille de ſterili, iſte de Virgine. Sterilitas conuerſa eſt in fœcunditatem: Virginitas manſit poſt fœcunditatem. Sed Ioannes inquit ſi ſecundum hoc dixiſſet factum, ſecundum quod ex Virgine Natus eſt, non diceret, *Ante me factus eſt*; quia ex Virgine poſt illum factus erat. Ergo, ante me factus eſt, quid eſt, niſi quia in principio verbũ factum erat? Sic enim ante Ioannem erat. Nam ex Virgine poſt Ioannem erat. Accipe & ſi non rixaris, aduerte. Aliquantum enim fortè ſubobſcurum eſt quod vis intelligere, vt rixando tibi augeas fumum, quo impediaris ab intellectu. Scripturam illam primò intuere, quæ te docet vt docilis fias, Eſto manſuetus ad audiendum verbum vt intelligas. Patere ergo pauliſper, fortè inueniemus quomodo dictum ſit; *Ante me factus eſt*, dum tamen non intelligas factum verbum per quod facta ſunt omnia.

nia. Quomodo, inquit? Si potero dicam, ſi dicere non potero, non tamen non eſt quod dicat, qui dicere potuerit. Credo autem & ſpero, quod illius maieſtas Vnigeniti, qui cum eſſet verbum, infans factus eſt, aperiet infantiam linguæ meæ, & faciet in ore partum, qui fecit in corde conceptum. Ecce dicam vt potero; intellige vt potes, & quod non potes intelligere, noli & reprehendere quaſi iam magnus ſis, ſed differ vt creſcere merearis. Certè hoc te mouet quomodo dictum ſit. *Qui poſt me venit ante me factus eſt.* Moueat planè vt quærentem, non vt rixantem. Certè & ego quæro tecum, ſimul inueniemus, ſi ſimul quæramus, ambo accipiemus, ſi ambo petamus, vtrique noſtrum aperietur, ſi ambo pulſemus. *Poſt me venit,* inquit, agnoſce Natiuitatem ex Virgine MARIA. *Ante me factus eſt.* Quid eſt, *Ante me factus eſt?* Intellige, antepoſitus eſt mihi. Ille qui poſt me venit, ante me factus eſt. Quomodo ſi duo ambulant in itinere, & vnus ſit tardior, alter velocior, & præcedat tardior aliquantum; poſt paululum autem ſequatur velocior, reſpicit tardior præcedens velociorem ſequentem, & dicit. Poſt me venit, & ecce accelerante illo, & propinquante, & adhærente, & tranſeunte videt ille anteriorem, quem reſpiciebat poſteriorem. Certè ſi celeritatem eius expaueſcat quodammodo & admiretur, nonnè poterunt eſſe iſta verbo eius. Ecce homo poſt me erat, & ante me factus eſt; Quid eſt hoc? qui poſt me erat ante me factus eſt: Qui ambulabant poſt me,

cele-

celeritate eius factum eſt vt eſſet ante me: Nam ſi vbicumque legeris factus eſt, non intelligis niſi formatum eſſe, qui non erat, & Dominum Deum dicturus es factum de quo dictum eſt: *Factus eſt mihi Dominus in refugium. factus eſt Dominus adiutor, & factus eſt mihi in ſalutem.* Quoties factus & ipſe fecit omnia? Ergo intellige mecum verba. Neque enim tacuit idem Ioannes & illud quod verbum erat, ne ibi putares ſignificaſſe verbum, quando dixit, *Ante me factus eſt:* vt noueris ad hoc pertinere ante me factus eſt, quia præceſſit me, quia glorificatum eſt amplius me; quia cum me intenderent homines Præcurſorem, agnouerunt Dominum, quem naſcendo præceſſeram, quem obſequendo nuntiaueram; Speſque eorum concurſus eorum in Dominum factus eſt. glorificatus eſt ille tanqam Filius Dei, ante me factus; ſecundum id quod Apoſtolus ait, *Propterea Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorũ.* Gloria ergo eius non eſſe cœpit, ſed innotuit; factus eſt ante Ioannem, quia præceſſit honore Ioannem; ſed vide vtrum meritò. Interroga ipſum Ioannem. Ille qui poſt te venit, quare ante te factus eſt, qui te ſequebatur, quare tibi Prælatus eſt? Sequitur, quia *Prior me erat,* hoc eſt, *In principio erat Verbum.* Ergo meritò ante me factus eſt, quia prior me erat. Prior Ioanne, prior Abraham, prior quàm Adam, prior quàm Cælum & Terra, prior quàm Angeli, ſedes, Domina-

Pſal. 90. 17. 118.

Philipp. 2.

minationes, Principatus, & Poteſtates. Quare prior? Quia omnia per ipſum facta ſunt. Agnoſcat ſeruus humilitatem ſuam, oſtendat Dominus maieſtatem ſuam. Dicat idem Ioannes, *Non ſum dignus corrigiam calciamenti eius ſoluere*. Multum ſe humiliaret ſi diceret, dignus ſum. Quid enim ſi diceret, dignum? numquid ſedere in iudicio ad dexteram Patris? numquid venire ad iudicandos viuos & mortuos? quid ſi diceret dignũ ſoluere corrigiam calciamenti? Magna humilitas, ſi hoc eſt dignus amicus ſponſi. dicturus enim erat amicum ſe eſſe ſponſi, & ne in illa amicitia fortè ab aliquo imprudente intelligeretur, dicit ſe amicum propter amorem, deiicit ſe ad veſtigia propter timorem, & parum eſt quod ſe ad veſtigia deponit, nec dignum ſe dicit ſoluere corrigiam calciamenti. Humilis profectò ſe dignum ſoluere; ſed quia nec dignum ſe dicit ſoluere, dignus qui exaltaretur ab humilitate. Dicat etiam apertius; dicat diſtinctius; quid eſt, *Poſt me venit, ante me factus eſt*, Dixit enim cauſam, *Quia prior me erat*. Quoniam *In principio erat Verbum*; *& cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo*. *Illum oportet creſcere, me autem minui*. Oportebat vt creſceret qui poſterior venit. Si creuit qui poſterior venit, ante ipſum factus eſt creſcendo. *Illum*, inquit, *oportet creſcere me autem minui*. Hoc eſt ante me factus eſt. Et quomodo creuit Chriſtus, minutus eſt Ioannes? Præceſſit ætate Ioannes Dominum: In natiuitate humana creuerunt ambo, annis accedentibus, ſtatura

tura carnis, & peruenerunt ad certum modum ſicut homines; ſed Ioannes homo, Chriſtus Deus eſt homo * * * * * * * * *
*
quomodo illius reprobi & blaſphemi, qui prius blaſphemus & perſecutor, & iniurioſus. Ecce tenebræ. Accendatur lucerna; *Sed miſericordiam conſecutus ſum*. Et vt noueris de ipſis dictum, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in Domo ſunt*, ſtatim ſequitur, *Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant bona opera veſtra*. Sed in humilitate, quia hominem oportet minui. Quomodo autem Deum creſcere? *Et glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*. Glorificatur Pater, Glorificatur filius, quia Pater glorificat filium, & filius glorificat Patrem. Agnoſcat ſe ergo homo humilem, agnoſcat excelſum Deum propter ſe humiliatum, vt homo qui humiliatus erat in confeſſione peccati exaltetur in adoptione iuſtitiæ. Hæc duo, Dominus & Ioannes, humilitas, & claritas. Deus humilis in claritate homo humilis in infirmitate. Deus humilis propter hominem, homo humilis propter hominem. Deus enim humilis vt prodeſſet homini, homo humilis vt non obſit ſibi. Agnoſcamus ergo hæc duo, & in ipſa differentia paſſionum. Legimus Ioannem paſſum pro veritate. Numquid pro Chriſto? Non pro Chriſto, ſi non veritas Chriſtus. Non omninò pro ipſius nomine, ſed tamen pro ipſa veritate. Neque enim ideò

Tim. 1. 13.
Matth. 5. 15

decollatus eſt Ioannes, quia confeſſus eſt Christum, ſed monebat temperantiam, monebat iuſtitiam, dicebat: *Non tibi licet habere vxorem fratris tui*. Lex enim erat, quæ hoc iuſſerat, & illis iuſſerat qui morerentur ſine liberis, vt acciperent fratres vxores fratrum ſuorum; & reſuſcitarēt ſemen fratribus ſuis. vbi iſta cauſa non erat, nihil niſi libido erat. Hanc libidinem Ioannes arguebat, caſtus incaſtum; quia & illud quod figurabat tale eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui: in Diuinitate, ſi intelligamus quia creuit Chriſtus, abſurdi ſumus, & nimis erramus. Creſcit enim aliquid vt proficiat, Deus quo creſcat non habet. Si enim habet quo creſcat, minor erat antequam creſceret. Redeamus ad formam carnis. Ipſa cum Ioanne creuit, non illo minuto creuit. Referamus ergo fortaſſis ad gloriam, & intelligamus illum oportet creſcere, me autem minui ſecundum hoc dictum, quod poſt me venit & ante me factus eſt; Ioannes enim perſonam ſuſtinebat hominis, & loquebatur ex typo generis humani, ad quod ſaluandum venerat Chriſtus. Dixeramus autem fratres, humilis Deus venit ad ſuperbum hominem. Agnoſcat homo ſe hominem. apparuit Deus homini; Etenim ſi ideo venit Chriſtus, vt humiliaretur homo, & ex humilitate creſceret homo, oportebat vt gloria iam ceſſaret hominis, & commendaretur gloria Dei, vt ſpes hominis eſſet in gloria Dei, non in gloria ſua, dicente Apoſtolo: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: Rectè ergo homini dicitur,

Marc. 19.

1. Cor. 1. 31. 4. 7.

citur, *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Hunc typum humilitatis humanæ Ioannes oſtendens, quia quantum proficiebat opinio, & fama Chriſti, non ſtatura Chriſti, non maieſtas Chriſti, non ſapientia, non Verbum Dei, ſed fama illa, quæ cœpit à minimo, & iam tenet Orbẽ terrarum. Gloria Chriſti non gloria hominis, vt agnoſcat homo humilitatem ſuam, impertiat Deus diuinitatem ſuam. Etenim gloria Dei fratres gloria noſtra eſt. Quantum dulcius glorificatur Deus, tantũ nobis prodeſt; non enim altior erit Deus, quia honoramus illum; humiliamus nos, & exaltamus illum. Scriptum eſt enim, *Exaltabo te Domine.* Quid eſt *exaltabo te?* In terra erat, & eum in Cælo poſuiſti: Et homo exaltat Deum? Quid eſt *exaltabo te?* Altum te confitebor. Confiteatur ergo ſe homo hominem: Decreſcat prius, vt creſcat: Dicat Ioannes decreſcendo ad humilitatem non ſe eſſe dignum, qui ſoluat corrigiam calciamenti, & intelligat ſe participando illuminatum fieri. Hoc enim Ioannes Euangeliſta dixit de illo. *Non erat ille lumen.* Iniuriam fortè fecit Ioanni, quia ait, Non erat ille lumen Mundi? Prætulerunt ſe Apoſtoli Ioanni? non faciunt, ne mendacem ipſum Dominum iudicent, qui dixit: *In natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne Baptiſta;* Non vtique maior ſtatura corporis, ſed gratia participatæ ſapientiæ, gratia participatæ ſalutis. Quid ſibi ergo vult. *Non erat ille lumem, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine?*

Pſal.29.

Ioann.1.

Matth.11. 11.

quarè hoc dixit. Noui, inquit, quid dicam teſtimonium perhibere de lumine. Erat enim lumen verum diſtinctum à Ioanne, vt prorſus non lumen Ioannes, ſed vt in comparatione huius luminis dictum intelligatur, Non erat ille lumen, ſecundum quod dixit, quia erat lumen verum. Quomodo diſcernis hoc verum? Quod *illuminat*, inquit, *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Si omnem hominem, ergo & Ioannem. Sed vt non videamur colligere ex verbis quod non eſt dictum, quamuis conſequenter intelligendum, Ipſe Ioannes dicat; Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Erat ergo lumen verum, Ioannes lumen illuminatum, Chriſtus lumen illuminans. Nam vt noueris, quia lumen erat Ioannes, iam perhibeat illi & Dominus teſtimonium, perhibuit ipſe teſtimonium Domino ſuo, teſtimonium veritatis de Domino ſuo, quod habebat à Domino ſuo. Acceperat enim à Domino ſuo, vt diceret de Domino ſuo; vt autem ille diceret de ſeruo ſuo, non acceperat à ſeruo ſuo, & in ſe Chriſtus de Ioanne, & in Ioanne Chriſtus de ſe. Ipſa ergo veritas perhibeat teſtimonium. audiamus quia lumen eſt Ioannes. Iudæis dicitur de Ioanne, ille erat lucerna ardens, & lucens, & vtique lucerna lumen eſt non ſicut dies, ſed tamen lumen eſt. Ergo lucerna accenditur vt luceat, & Ioannes illuminatus eſt vt loqueretur. Si ergo Ioannes illuminatus eſt vt loqueretur, agnoſcat ſe lucerna, ne ſuperbiæ vento extinguatur. Sed fortè lumen Diſcipuli, & lucerna Ioannes. Dominus

minus enim de Ioanne ait: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, de Diſcipulis autem; *Vos eſtis lumen Mundi*. Io 5. 35. Matth.5.14 Diſcipulos ſuos prætulit Ioanni? Nunquid & fideles Eph.5. 10. illi, quos alloquitur Paulus, præponendi ſunt Ioanni, quibus ait, *Fuiſtis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino?* Lux ergo Apoſtoli, & lux fideles, ex peccatoribus iuſtificati, ex infidelibus fideles facti, tamen lucerna non ſunt dicti diſcipuli. Attende fortè fortè dicti, & non alio loco ſunt ibi, vt oſtenderet quemadmodum eos dixerit lumen; quia non lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sequere verba Euangelij, *Vos eſtis lumen mundi, non poteſt Ciuitas abſcondi, ſupra montem conſtituta*. Sed de Ciuitate dixit: non de lumine. Sequere adhuc, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio*. Tale lumen eſtis, quale lumen Ioannes lucerna illuminata; Tanquam cuius vox, vel quorum vox præceſſerat, *tu illuminabis meam lucernam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas*. Pſal.17.29. Quas tenebras in Apoſtolis? *Fuimus & nos aliquando in obſcuro loco, donec dies luceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris*. Videtis ergo fratres quàm ſunt peruerſi, & properando vitioſi, qui tanquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum, qui nobis dicunt. Quid me iubes credere non audiendo? Dicat Propheta. *Niſi credideritis,* Iſa.7.9. *non intelligetis*. Aſcendere vis, & gradus obliueſceris? Vtique peruerſe homo, ſi iàm poſſem tibi oſtendere quod videres, non hortarer, vt crederes. Eſt enim

 fides,

fides, ſicut alibi diffinitum eſt, ſperandarum ſubſtantia rerum conuictio quæ non videntur. Si non videntur, quomodo conuincuntur quia ſunt? Vnde enim ſunt iſta, quæ vides, niſi ex illo, quod non vides? Vtique vides aliquid, vt credas aliquid, & ex eo, quod vides, credas quod non vides. Ne ſis ingratus ei qui te fecit videre, vnde poſſis credere quod non potes videre. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde. Excita rationem cordis, erigere in interiorem habitatorem oculorum tuorum. Aſſumat feneſtras ſuas, inſpiciat Creaturam Dei; Eſt enim aliquis intus qui per oculos videat. Nam quando aliundè nimis cogitas, auerſo interius habitatore, quæ ſunt ante oculos tuos non vides? Feneſtrę enim fruſtra patent, quando qui per eas attendit abſens eſt. Non ergo oculi vident, ſed quidem per oculos videt. Erige illum, excita illum; Non enim denegatus eſt tibi. Rationale animal te Deus fecit, præpoſuit te pecoribus. Ad imaginem ſuam te formauit. Sic in eo vti oculis debes vt pecus, tantùm vt videas quid addas ventrį, non menti. Erige ergo rationalem aſpectum, vtere oculis vt homo. Intende Cælum, & terram, ornamenta Cæli, fœcunditatem terræ, volatus auium, natatus piſcium, vim ſeminum, ordinem temporum. Intende facta, & quære Factorem. Aſpice quæ vides, & quære quem non vides, propter iſta quæ vides. Apoſtolum
Rom. 1. 20 audi dicentem. *Inuiſibilia enim Dei à Creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Poſtponebas

nebas iſta, nec attendebas vt homo, ſed vt animal irrationale. Clamauit ad te Propheta, & fruſtra clamauit; *Noli eſſe ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. Videbas ergo iſta, & poſtponebas miracula Dei quotidiana, non facilitate, ſed aſſiduitate viluerunt. Quid enim difficilius cognitione, quàm vt naſcatur homo, qui non erat; Moriendo & diſcedat in ſecreta qui erat, naſcendo procedat in publica qui non erat. Quid tàm mirabile, quid tàm difficile cognitu; Deo autem facilè factu. Mirare iſta, expergiſcere. Inſolita noſti mirari, maiora ſunt quæ videre conſueſti. Mirati ſunt homines Dominum Noſtrum IESVM Chriſtum de quinque panibus ſatiaſſe tot millia, & non mirantur per pauca grana impleri ſegetibus terram. Qui aquam viderunt vinum factam, viderunt & obſtupuerunt. Quid aliud fit de pluuia per radicem vitis? Ipſa illa fecit, ipſe iſta; illa vt paſcaris, iſta vt mireris. Sed vtraque miranda ſunt, quia opera Dei ſunt. Videt homo inſolita, & miratur. Vnde eſt ipſe homo qui miratur? Vident vnde proceſſit, vnde forma corporis, vnde membrorum diſtinctio, vnde habitus iſte ſpecioſus, de quibus primordijs, de quàm contemptibilibus, & miratur aliud, cum ſit magnum ipſe mirator miraculum. Vnde ergo iſta quæ vides, niſi ex illo, quem non vides? Sed vt dicere cœperam, quia tibi iſta viluerunt, venit ad faciẽda inſolita, vt in ipſis agnoſceres artificem tuum. Venit ille ad iſtum locum cui dictum *innoua ſigna*, cui dictum, *mirifica miſericordias tuas*,

Pſal. 31. 9.

tuas, Largiebatur enim eas, largiebatur & nemo mirabatur. Venit ergo paruus ad paruos, venit medicus ad ægrotos, qui poterat venire cùm vellet, redire cùm vellet, facere quicquid vellet, iudicare vt vellet, & hoc quod vellet ipſa iuſtitia eſt, & quod ille vult; inquam, ipſa iuſtitia eſt. Non enim iniquum eſt quod ille vult, aut æquum poteſt eſſe quod ille non vult. Venit ſuſcitare mortuum mirantibus, reddere luci hominem, qui non erat in luce, qui quotidie quæ non erant producit ad lucem. Fecit iſta, & contemptus eſt à multis, plus attendentibus, non quàm magna faceret, ſed quàm paruus faceret, tamen dicentibus apud ſe. Iſta Diuina ſunt, ſed iſte homo eſt. Duo ergo vides, Diuina, & humana. Si diuina non poſſunt fieri niſi à Deo, Vide ne in homine lateat Deus. Attende, inquam, quæ vides; crede quod non vides. erudit qui vocauit vt credas; quamuis iuberet te illud credere quod videre non potes, non te tamen dimiſit nihil videntem vnde poſſis credere quod non vides. Parua nè ſigna, parua nè indicia ſunt Creatoris in ipſa creatura? Venit etiam, fecit miracula. Non poteras videre Deum, poteras hominem. Deus factus eſt homo, vt in vno tibi eſſet, & quod videres, & quod crederes. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Audis, & nondùm vides. Ecce venit, ecce naſcitur, ecce corpus aſſumit, ecce de fœmina procedit qui fecit maſculum, & fœminam, non eſt factus per maſculum, & fœminam. Contempturus eum eras fortè qui naſceretur.

Præ-

Præceptum iam fuerat * * *
Vtquid enim hoc Deus præceperat, niſi vt eo modo ſignificaretur ſemen ſuſcitandum fratris ad nomen fratris? Hoc enim præceptum erat, vt qui inde naſceretur, nomen haberet defuncti. Defunctus eſt Chriſtus; acceperunt coniugem eius Apoſtoli Eccleſiam. Quos de illa genuerunt, non Paulianos, aut Petrianos, ſed Chriſtianos nominauerunt. Loquantur ergo hæc duo ambæ paſſiones. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ille creuit in ligno, hic eſt diminutus in ferro. Locutæ ſunt & paſſiones hoc myſterium. Loquantur & dies. Naſcitur Chriſtus, & augentur, naſcitur Ioannes & minuuntur. Minuatur ergo hominum honor, augeatur honor Dei, vt honor hominis inueniatur in honore Dei.

OBSERVATIO.

QVONIAM DIEM NATIVITATIS DOMINI OCTAVO KALENDARVM IANVARIARVM DIE CONSENSVS TRADIT ECCLESIAE] Diem Natiuitatis Domini Octauo Kalendarum Ianuariarum die, hoc eſt XXV. Decembris; & ſex menſibus præceſſiſſe Natiuitatem Ioannis, rectè etiam hoc loco, ſicut alibi notauit S. Auguſt. nempe lib. 4. de Trinit. c. 6. lib. 83. qq. quæſt. 56. & lib. 65. qq. q. 26. & ſuper Pſal. 132. Vbi ſicut XXV. Decembris natum; ita XXV. Martij Conceptum Saluatorem non ſolum aſſerit, ſed pro traditione recipit. Idem longè antea tradidit Clemens Rom. lib. 5. Apoſt. Conſtit. cap. 12. Et poſt, inter alios Sanctos Patres, Chryſoſt. homil. de Natiuit. S. Ioannis Baptiſtæ, & iterum homil. de Natiuit. Domini. Vbi de hac aſſertione ſic pronunciat. *Non ſunt noſtra quæ loquimur: Maiorum ſententia eſt.* Mitto quàm plurimos, ne in conſenſu totius Eccleſiæ abundem.

Congruentiſſima porrò huius aſſertionis eſt ratio; Nam quia Dei diſpenſatio cum Chriſto, & in Chriſto creſcebat, conueniens diuinæ fuit œconomiæ, vt tunc conciperetur, & naſceretur Dei filius, quando dies incipiunt creſcere, & quando primùm incrementa omnia incipiunt venientis anni, quibus propterea veteres conſecrarunt æquinoctium vernum, & ſolſtitium hyemale. Sic contra, Ioannem Baptiſtam, ſicut creſcente Domino minui oportebat, ita & concipi decebat in æquinoctio Autumnali, & naſci in ſolſtitio æſtiuo, quando dierum incipiunt decrementa, quæ hic vno verbo in fine inſi-

nuat

nuat S.Auguſt. dum ait. *Loquantur & dies,* (nempè hoc myſterium) *Naſcitur Chriſtus & augentur, naſcitur Ioannes & minuuntur*. Animaduertunt hoc ipſum Ephrem ſyrus apud Alex.Monach. in orat. de inuentione Crucis; S.Greg. Nyſſen. Serm. de Natal. S.Ambroſ. Serm.12. de Natal. Et vt infinitos mittam, noſter ipſe Auguſt. Serm.18. de Natiuit. Chriſti. Et lib.83. qq. q. 58.

Sed non eſt prætereundus S.Chryſoſt. qui Serm.2. de Natiu. S.Io.Baptiſtæ tantum latere arcanum in hoc argumento ſenſit, vt dubitarit, an quiſpiam ante Domini Natiuitatem potuerit ad plenum intelligere; forſitan & Angelos latuit, donec veniret tempus miſerendi Sion. Congruum ſanè fuit, vt quo menſe, & die, primus Adam fuerat à Deo creatus, & in peccatum prolapſus, ſecundus Adam formaretur in Virginis vtero, & poſtea moreretur in Crucis ligno, vt quicquid ceciderat in Adam primo, totum erigeretur in ſecundo. Sic planè etiam conueniens erat, vt cæleſtis illa Tuba, & diuini Verbi Præco Ioannes Baptiſta in menſe pariter Tubarum conciperetur, eiuſque Natiuitas Angelico denunciaretur, vt ſic dicam, afflatu. Vide Euſeb. Emiſſ. ſiue is ſit Eucherius, orat. in 3. Domin. Aduentus. Denique non minus conueniens, quàm decens fuit; Lucernã ardentem & lucentem in feſto Scenopegiæ concipi, in quo & Abraham olim conceptus fuit, & Iudęi multas lucernas ſoliti fuerunt accendere in prognoſticon conceptionis Natiuitatis S.Ioannis Baptiſtæ eo die futuræ, vt notauit S.Io. Chryſoſt. loco citato.

Hæc tamèn non ſunt intelligenda de naturali æquinoctio & ſolſtitio, ſed de artificiali. Alioqui ex obſeruationibus Ptolęmei, Hipparchi, & aliorum Aſtrologorum, facile eſt demonſtrare, illo Chriſti Redemptoris æuo, verum æquinoctium vernum ad XXII. vel XXIII. diem Martij ſedem fixiſſe.

Eſt verò notatu dignum. Quo anno Auguſtus Imperator ſimul & Cenſor & Conſul.XII. Caium Cæſarem filium adoptiuum, prætexta puerili exutum, toga induit, & ſolemni ritu

in

in Capitolium ductum, ad omnem claritudinem extulit; eodem, Dei filium exinanitum, forma ſerui in humana carne ſuſcepta, introductum eſſe in Orbem terrarum: immo verò quo die ferè menſis Martij Caius togam accepit (Dies enim tradendæ togæ ſignatur in faſtis XVI. Kal. Aprilis) eodem, Dei filium trabea mortalitatis noſtræ indutum, & habitu inuentum eſſe vt hominem. Quo eodem anno, Ioannes Baptiſta in lucem progenitus, licet puſio, verus Augur fuit, & Propheta Altiſſimi, multo iuſtiore titulo, quàm Caius, quem pariter Augurem conſtituerat Auguſtus.

Nihil autem adeò certò nos ad annum Chriſti Natalitium deducit, quàm Annunciatio Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ eiuſdemque conceptio. Eo quippè contigere anno, teſte Chryſoſt. in homil. de Natiuit. Io. Baptiſtæ, qui primum Imperij Tiberij Cæſaris, hoc eſt, Tribunitiæ poteſtatis annum anteceſſit. Per hos enim numerare ſolitos annos Romanorum Imperatorum, notum eſt. Primus verò Tribunitiæ poteſtatis Tiberij annus, ſignatur à faſtis Capitolinis annus Iulianus XLI. Amplius tradit Chryſoſt. loco cit. Conceptionem Io. Baptiſtæ nouem annis præceſſiſſe correctionem anni, quia conceptus eſt Iuliano XL. qui tertius eſt in ordine illorum duodecim, quos ſine intercalatione decurrere iuſſit Cæſar, vt ſolis lunæque curſus annis quadraret Iulianis. Præterea eiuſdem Chryſoſt. & complurium veterum ſententia, Annunciatio Natiuit. S. Io. Baptiſtæ contigit luna decima, menſis ſeptimi die XXIV. Septembris. Conceptio verò luna decimaquinta eiuſdem in feſto Scenopegiæ, die XXIX. Septembris in die Sabbati. Qui characteres non niſi XL. Iuliano contigerunt anno, vt oſtendunt tàm Cyclus Solis & Lunæ, quàm Epacta & Litteræ, Dominicalis & Martyrologij.

Iterum verò ex antiqua traditione docet idem Chryſoſt. Ioannem natum die XXIV. Iunij luna decimaſeptima in Ieiunio quarti menſis, qui dicitur Tamuz. Hoc autem certum eſt, nulli conuenire anno, quàm Iuliano XLI. qui & poſtremus fuit

fuit annus biſſextilis,quem vidit Herodes,in cuius diebus hæc facta conſtat ex Euangelio Matthei cap.2. Hæc autem fuiſſe prædicta à Zaccharia cap.8. verſ.19. notat idem Chryſoſt.

Et ex his refelluntur inſulſi Nouatores, qui vnico & ficulneo moti argumento, Patres Orthodoxos, & vniuerſam Eccleſiam erroris arguere ſunt auſi; ex eo nimirum, quod Euangeliſta Lucas cap.2. dicat. *Paſtores erant in Regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*: Non potuiſſe Chriſtum naſci in ſolſtitio brumali, quo tempore bruma rigente non ſuppetunt paſcua armentis, nec ſub dio pernoctare queunt Paſtores. Scilicet qui tàm acutè argutantur, de ſuis regionibus coniecturam faciunt, nec legerunt in Paleſtina Ægypto contermina, Martium eſſe menſem nouarum frugum, & meſſem triticeam interdum in Paſchales ferias incidere, vt in ſua Claui M.S. ſacræ Scripturæ doctè, & eruditè tradit R.P. Melchior Inchofer è Societ. Ieſu nominatiſſimus Theologus, vt eum vocat R. P. Fr. Valerianus Magnus Ordinis Cappuccinorum in ſua de luce mentium demonſtratione. Sed & Cicero lib.1. de diuinat. Arabes & Phrygas & Cylices, quod paſtu pecudum maxime vtantur, campos & montes hyeme & æſtate peragrare, diſertè atteſtatur.

Plura hìc dici potuiſſent de ſententia Scaligeri & eius ſequacium, qui non rectè verſati in Anno, Menſe, & die Natalis Domini, ſpecioſo, ex ſerie Ephemeriarum, abuſi ſunt argumento ad Natalia Chriſti in Autumnum transferenda. Sed cum hìc obiter tantùm hæc notare voluerimus, non vacat ijs diutius immorari, quæ longiorem ſcriptionem alio loco requirunt.

Hic modo ſufficiat inſinuaſſe, in quam hebdomadæ feriam inciderit Chriſti Domini Natiuitas. De qua re, varij varia. Quidam ponunt fuiſſe Dominicam ſicut Conceptionis feriam ſextam, auctoritate Sextæ Synodi Conſtantinopolitanæ habitæ in Trullo, ſed quicquid ſit de auctoritate huius Synodi, ea, quæ dicuntur, non ſunt Sextæ Synodi, ſed vetuſti cuiuſdam

Codi-

Codicis Monaſterij S. Bauonis Vrbis Gandauenſis, vt notatur Tom.3. Concil. Romæ impreſſorum in fine dictæ ſextæ Synodi, vbi etiam manifeſtè dicitur Canones nouem, qui ibi ſubijciuntur, falsò adſcribi Sextæ Synodo: in his porrò Canonibus, Canone ſiue Capite Octauo ſic habetur. *Diei verò Dominici quia in eo Deus lucem condidit &c. in eo naſci dignatus eſt. In eo Stella Magis refulſit &c.* Cuius loci dicti Codicis non eſt habenda tanta ratio, quàm auctoritatum à nobis allegandarum. Et licet verum ſit prima die creatam lucem, non tamen ideo debemus aſſerere Natum Chriſtum, ſed potius die quarto, in quo & ipſa lux aut formata eſt in corpus Solis, vt quidam dicunt, aut certè lumen ipſũ Solis quod primo die erat informe, quarto die formatum eſt, vt S. Thom. p. 1. q. 70. art. 1. ad 2. ex Dionyſio cap. 4. de diuin. nominibus aſſerit, cum qua comparatione magis conſiſtit Natiuitas Chriſti in carne, quàm cũ primo die, in quo ſecundùm S. Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſ. c. 5. & lib. 1. c. 9. non lux corporalis, ſed ſpiritualis tantùm facta eſt; & vno verbo, lux informis, cuius ſimitudo non cadit in Chriſti Natiuitatem, quæ Orbi terrarum lucem attulit, illuminans omnem hominem veniẽtem in hunc Mundum. Et inſuper ſi hoc verum eſſet de die Dominico, non alio quam XLV. anno Iuliano Lentulo & Piſone Coſſ. Littera B. erronea Cyclo Solis IX. Lunæ II. contigiſſet diuini Verbi Incarnatio. Cæterùm, quia Euangeliſta Matthæus cap. 2. in diebus Herodis Regis Chriſtum natum eſſe affirmat, nequaquam talis poſitio poteſt ſubſiſtere, quando Annus Iulianus XLV. tertius fuit ab obitu Herodis. Alij & rectius, Incarnationem ſeu Conceptionem feria ſecunda, Natiu. verò feria quarta contigiſſe affirmant, quaſi eà feriâ decuerit Solem iuſtitiæ habitantibus in Regione vmbræ mortis oriri, qua olim Sol iſte materialis, quem quotidie ſpectamus, illuxit Orbi. Tuetur hanc ſententiam Cedrenus in cõpend. Maximus Monachus aliquot ſæculis illo vetuſtior, in tract. de Chriſ. quibus accedit Venantius Scriptor vitæ Radegundis Reginæ apud Suriũ 13.

Augu-

Auguſti, affirmans, eam inter mortales deſijſſe die decimotertio Auguſti, Feria quarta, ideoque die Natalitio Saluatoris. In quo facere ſolebat quicquid facere conſueuiſſet. Atteſtatur & Gregorius Turon. morienti præſens lib.9. hiſt.cap.2. lib. de Glor.Conf. c.106. Nec diſsentit Beda lib.de Argum. Lunæ, dum conceptum ait Dominum Feria prima in Dominica, & natum Feria tertia: id enim verò citrà impedimentum explicari debet, ſi ſecundùm Perſarum, Babyloniorum, aliarumq; gentium, immò & Aſtrologorum morem intelligatur, quo nox ad diem Lucis præcedentis referri ſolet; itaut natus ſit Chriſtus media nocte, quæ Lucem Feriæ tertiæ (quam diem Martis vulgò vocant) eſt conſecuta, & quartæ Feriæ, ſeu diei Mercurij Lucem eſt antegreſſa; vndè & Feria quarta natus dicitur, qua eadem Sol primùm illuxit mundo. Vide Inchoferum lib.de tribus Magis cap.25. immó hanc eſſe traditionē Eccleſiæ tradit Tirinus in Sac. Chron. cap.48. concl.3.

Sed dum his meis obſeruationibus manum imponebam, incidi in diſſertationem Gerardi Ioannis Voſſij de tempore Natiuitatis Chriſti, qui hanc meam opinionem, quæ cōmunis eſt cum Ioanne Dekerio, Dionyſio Petauio, & præfato Melchiore Inchofero, tanquam leui fundamento nixam modeſtè licèt reijcit. Monui illicò dictum Inchoferum, quem ex eodēmet ipſo audiueram, Dekerium aliquando in ſacra Chronologia diligenter auſcultaſſe, oſtēſo etiam Voſſij libello, quo loco huic opinioni aduerſus eſt. Peruidit igitur diligenter quicquid in eo erat, & collato mecum Sermone, in has ferè rationes reſpondit, quas nō grauabor huic meæ obſeruationi ſubijcere, quod non parum firmamenti communi mihi cum eodē, & ſupranominatis clariſſimis Scriptoribus videtur ſufficere. Ait ergo; nihil ſolidi afferri à Voſſio, quod ſibi, & Dekerio opponat, cuiuſmodi enim eſt. Chriſtum natū anno Iuliano XLI. C. Cæſare Octau. XII. (errore typis ſcribit III.) & C. Cornel. Sylla Coſſ. aduerſari omnibus antiquis. Hoc enim, inquit. Inchofer, oſtendendū erat à Voſſio, & ex antiquorum ſenten-

tia euertendum fundamentum à Dekerio poſitum : nempè nulli, niſi annò Iul. XLI. competere, quod Lucas Euangeliſta aſſerit, exijſſe edictum à Cæſare Aug. vt deſcriberetur vniuerſus Orbis : tum verò natum Chriſtum, nemo niſi abſurdè negat. Iterum, Chriſtum eſſe natum in diebus Herodis Regis, quod etiam nemo inficias eat, niſi Matthæum Euangeliſtam falſa ſcripſiſſe calumnietur. At hoc nulli conuenit anno, niſi XLI. Iul. qui etiam fuit Regni Herodis partim XXXII. partim XXXIII. quo primum legitimè regnare cœpit. Hæc ſanè oportuiſſet euerti à Voſſio, ſi ſolidè feciſſet, & non ab incertis conſequentijs arguere.

Quod verò dicat fundamentum Dekerij eſſe : quia ex ſac. Scripturis mortualis Herodis dies poſterior eſt Natali Dominico, verum eſt ex parte, nempè hoc eſſe vnum ex præcipuis fundamentis eiuſdem. Herodem verò vita exceſſiſſe anno Iul. XLII. vt notat Voſſius, Dekerij non eſt, qui diſertè ponit XLIII. & huic hypothemati innititur in tota de Annis Chriſti Chronographiæ ſtructura; multis & irrefragabilibus rationibus, & auctoritatibus oſtendens intentũ, quarum nihil attigit Voſſius. Vnde quod idẽ ſubdit ex Dekerij probatione Ioſephũ lib. 17. Antiq. cap. 8. Rabbinis ab Herode crematis lunare deliquium fuiſſe, paulò ante obitum eius; qui non multò Paſcha præuertit : & hoc optimè conuenire anno Iul. XLII. (dicturus erat XLIII.) quia eo Eclipſis Lunæ incidit in XIII. Martij : hoc, inquit Inchofer, frigidè impetit Voſſius. Scilicet, quia non ſequitur, eam Eclipſim in Iudæa viſam, & eam eſſe, de qua loquitur Ioſephus. Quaſi is in Iudæa ſcribens, & obitum Herodis ex circumſtantijs illic præſentibus notans, de Eclipſi apud Antipodas fuerit locutus : Et frigidũ etiã eſt, nõ potuiſſe eam Eclipſim ea nocte accidiſſe : qua enim euidẽtia mathematica infit dictus Inchofer, id oſtendit. Scilicet, inquit Voſſius, quantillum ſpatij erat inter XIII. Martij, & Paſcha? Ac quæ inter crematos Rabbinos, & Paſchatis feſtum contigiſſe à Ioſepho narrantur, tàm multa variaque ſunt, vt ad ea non paucu-

larum

larum hæbdomadum, ſed multorum menſium tempus requiratur: quod cuiuis Ioſephum legenti apertiſſimum erit. Sic ille.

Legi ego, & Inchofer, non ſemel Ioſephum, & legat qui volet conſideratius, & offendet nihil vetare, quominus ea omnia viginti dierum ſpatio contigerint, vel ſi tranſitum Iordanis, quò circà Callioram aquis calidis foueretur, iterumq; hinc reuerſionẽ in Hierichunta, poſt quàm in dolium olei immiſſus viribus defecit, annumeres, & reliqua omnia, quæ ab ea Eclipſi narrantur vſque ad mortem eius cap. X. quę quinto die à filio Antipatro necato contigit, viginti circiter diebus à dicta Eclipſi. Friuolum etiam eſt, quod ſcribit Voſſius, nõ fuiſſe hanc veram Eclipſim, ſed pallorem in ſpeciem Eclipſis; nihil enim id demit rei à Ioſepho notatæ, quamquam cum dicit ea nocte Lunam defeciſſe, quis neget de vera Eclipſi locutum, niſi Aſtronomicè demonſtretur non fuiſſe, aliàs nihil ſingulare dixiſſet: exempla circa obſcuritates Solis, non eandem rationem habent, & negliguntur à cordatis Scriptoribus. Hucuſque doctus Inchofer.

Manet ergo ſtabile, quod diximus, Chriſtum natum anno XLI. Iuliano vt nec anſæ anſis firmius cohæreant. Cui aſſertioni, præter ea, quæ ſupra attulimus, addi poteſt, hunc eumdem annum, Tribunitiæ poteſtatis Auguſti XVIII. fuiſſe, quo vniuerſis gentibus vna pace compoſitis, Iani portas idem ipſe Auguſtus, tertium clauſit, & quo decretum edidit, vt vniuerſus cenſeretur Orbis: qui denique ex inſtitutione C. Iul. Cæſaris fuit biſſextus, quo ſolo naſci potuit Chriſtus Herode Seniore adhuc in viuis agente. Infinita argumenta prætereo, quæ hanc veritatem demonſtrant; ne extemporaneæ & ſimplicis notæ modum excedam.

Plura alia, quæ Voſſius cæteròqui doctè, & eruditè colligit de tempore Natiuitatis, menſe, dieque Natalis Chriſti, atque etiam Ioannis Baptiſtæ, non vacat hic expendere. Illud ante omnia diſplicet, quod affirmet nihil ſatis certum haberi,

nec initio Eccleſię Natalē Domini celebratum videri, ac fortaſſe nec ſecundo ſæculo, quod etiam confirmat in Appendice coniectura ex Clemente Alexandrino deprompta. Sed miror, fugiſſe eum Clementis Romani traditionem, cuius ſupra meminimus, Natalitium Chriſti diem ſemper XXV. Decembris ſolitam celebrari atteſtantis. Quod ipſum apud Nicephor. lib.2. hiſt.c.3. confirmat Euodius Petri in Antiochena Sede Succeſſor. Ac vt mittam quamplurimos Patres in hanc ſententiam venientes, id cōſtat etiam ex ijs, quæ Baronius refert ad annū Chriſti 301. Gentiles in Feſto Natalitiorū die XXV. Decembris adijſſe Maximianum, & narraſſe conſuetudinem Chriſtianorum eo die maximum Feſtorum celebrantium, quo nempè Deum ſuum natum fabularentur: Vt hinc clarum euadat, ab initio ſolemnem in Eccleſia fuiſſe hunc Natiuitatis diem, nec niſi ab Apoſtolis profluxiſſe iuxtà Auguſtini Canonem lib.4. contra Donatiſtas c.24.

2 Hanc Temporalem Vt Praestaret aeternam] Præſtandi verbo variè vſi ſunt SS. Patres, præſertim Africani, ſed plerumque idem valet quod dare, donare, exhibere, præferre, oſtendere, concedere, ſuppeditare, &c. Sic Cyprianus de hab. Virg. *Vitijs illecebram præſtare*. ideſt præbere: nihil frequentius Tertulliano in varijs acceptionibus, & inter alia lib.4. contra Marcionem c.35. *Veniam præſtare fratri*. Et ex eodem, præſtans, pro liberali & benigno, à præſtando, ideſt exhibendo, vt ex Rhenano notauit Pamelius ad lib.4. contra Marcionem c.24. *Quis tàm præſtans in homines?* & præſtantia pro liberalitate ibidem lib.2.c.16. & l.4.c.29. Et Minutius Felix, præſtare, pro exhibere aut præbere. *Nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus*. Sic apud Iuriſconſultos variæ ſunt huius dicti formulæ: præſtare dicta vel promiſſa, præſtare operas & ſimilia, pro reipſa exhibere & repræſentare. Sed ne ab Afris diſcedamus. Tertullianus Apol. c.28. & ad Scap. c.2. *Salutem præſtare*, ideſt ſecurum reddere: Et de pœnit. c.3. *Iuſtitiam Deo præſtare*, pro, ſatisfacere; & cap.11. *Caſtigatio-*

gationem victus atque cultus offenſo Domino praſtare. ideſt ſatisfacere pœnitentia: & Apuleius, *praſtare rationem*, Chalcidius in Tim. *praſtare cauſam*, ideſt ſecurum reddere cauſæ, vel facere, vt ratio vel cauſa liquidò appareat.

Ex quibus dictum Auguſtini, præſtare æternam, ſic explicandum accipiendumque cenſemus, cum eleganter loquutus ſit, ſcilicet per terrenam generationem Chriſti oſtenſam, exhibitam vel declaratam nobis fuiſſe æternam, vel etiam Chriſtum per Incarnationem ſuam donaſſe, contuliſſe, largitum eſſe nobis generationem æternam, vt ſicut ipſe pro nobis factus eſt homo, ita per ipſum homo fieret filius Dei. Ita S. Ioannes c. 1. Vbi Verbum carnem factum in nobis habitaſſe dixit, ſubiungit, *Et vidimus gloriam eius, &c.* Vel vt velit nobis præſtari, donari, concedi, per temporalem Natiuitatem regenerationem in vitam æternam, vt qui meritis Chriſti per baptiſmū regeneramur & renaſcimur iuxta doctrinā Chriſti, Ioan. 3. & ſimiles loquendi modos paſſim habet Auguſtinus & inter alia lib. de corrept. & gratia cap. 9. dicit Deum præſtare virtutem: hoc eſt tribuere, dare, conferre, idque aliquoties cùm ipſe eodem loco repetat, non eſt cur nos in ſuperfluis immoremur. Huiuſmodi explicationem in hunc ſenſum, ſuper verbo præſtandi, acceptam doctiſſimus Lucas Holſtenius in ſuis M. S. notis ad Paſſionem S. Perpetuæ pluribus confirmat. Hæc tantùm ad quorumdam dubia tollenda ſatis ſuperque ſit notatum.

Adiecimus hic quædam loca, quibus eoſdem ferè conceptus & ſententias adhibet S. Auguſtinus; vt vel hinc genuinum eius ſtilum & ſenſum conijcias. Ne verò per omnes tractatus vagaremur venando eius mentem in ſimili eloquendi modo, aliqua dumtaxat hic placuit enotare.

IOANNES PRAECESSIT DOMINVM TANQVAM PRAECVRSOR IVDICEM] Simile quid habet S. Auguſt. in Serm. de S. Io. Baptiſta qui eſt 21. de Sanctis Tom. X. *Præmittitur ergo lucerna ante ſolem, ſeruus ante Dominum, amicus ante ſponſum, præco ante Iudicem*: Et idem repetit in Serm. 22. 23. *Vociferatur præco, quia adeſt Iudex.* Et in altero Serm. de S. Io. Bapt. per nos edito. *Vna præmiſit Præconem, alia tulit Iudicem*.

O HOMO PROPTER QVEM DEVS FACTVS EST HOMO VT VIDERETVR AB HOMINE.] In Serm. S. Io. Baptiſtæ apud Sirmondum. *Non vides enim me qui feci te, ſed vides quod factus ſum propter te.*

Hoc illæ tantus & tantillus vermis nō homo, ſed per quem factus eſt homo.] In Serm. 23. de Sanctis & 3. de S. Io. Baptiſta. *Baptizatus propter te. Vide quantus factus ſit tantillus.* Et in Serm. de S. Io. Bapt. apud Sirm. *Tantillus tantum, homo qualiſcumque verbum Deum.*

Illum inquit oportet creſcere, me autem minui, & quomodo creuit Chriſtus, minutus eſt Ioannes?] In eodem Serm. apud Sirm. *Nam Ioannes minutus eſt caſus capite, Chriſtus exaltatus creuit tanquam in Cruce*: Et in Serm. 22. de Sanctis. *Vt minuatur homo caput Ioannis abſcinditur, vt exaltetur Deus in ligno ſuſpenditur.*

Non

Non enim dixit Ioannes. In principio fecit Deus verbum qui poſſet dicere vt dixit Moyſes, qui de Creatura à Domino facta loquebatur. In principio fecit Deus Cælum, & terram. Cum ille ſi hoc ſentiret, quod Ariani ſentiunt poſſet dicere. In principio fecit Deus verbum. Non hoc ait, ſed ait, In principio erat Verbum, quod in principio erat, factum non erat] In expoſitione Euangelij Sancti Ioannis tract. 1. *Exeat nunc neſcio quis infidelis Arianus & dicat quia Verbum Dei factum ſit quando Deus per verbum fecit omnia? Si & verbum Dei ipſum factum eſt per quod aliud verbum factum eſt? Si hoc dicis, & hoc eſt, verbum verbi per quod factum eſt, illud ipſum dico vnicum filium Dei, ſi autem non dicis verbum verbi concede non factum, per quod facta ſunt omnia, poterat enim dicere quomodo dixit Moyſes. In principio fecit Deus Cælum & Terram.*

Videbas ergo iſta & poſtponebas miracula Dei quotidiana, non facilitate, ſed aſſiduitate viluerunt.] In expoſit. vt ſupra tract. 24. *Miracula eius, quibus totum mundum regit, vniuerſamque creaturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt.*

Quid eſt ante me factus eſt? intellige, antepoſitus eſt mihi] In expoſitione vt ſupra tract. 4. cap. 1. *Qui ante me factus eſt: ſicut iam diximus, ideſt antepoſitus eſt mihi.*

Quare tibi prælatus eſt? ſequitur quia prior me erat.] In eadem expoſitione vt ſupra. *Ante me factus eſt, quia prælatus eſt mihi.*

Dicat idem Ioannes. Non ſum dignus corrigiam calciamenti eius ſoluere; multum ſe humiliaret ſi diceret dignus ſum, &c.] Ita legitur in eodem loco vt ſupra. *Et ſi dignum ſe diceret & ſic diceret, ille venit poſt me qui ante me factus eſt, cuius tantummodo corrigiam calciamenti dignus ſum ſoluere, multum ſe humiliaſſet.*

Niſi vt eo modo ſignificaretur ſemen ſuſcitãdum fratris ad nomen fratris? hoc enim præceptum erat, vt qui inde naſceretur nomen haberet defuncti. Defunctus eſſe Chriſtus. acce-

perunt coniugem eius Apoſtoli Eccleſiam. Quod de illa genuerunt non Paulianos aut Petrianos, ſed Chriſtianos nominauerunt.] Sanctus Auguſtinus contra Fauſtum lib. 32. *Quod modo non intelligens Fauſtus, in mandatis veteris teſtamenti pro crimine obiecit, quod vxorem fratris ad hoc frater iuſſus eſt ducere, vt non ſibi, ſed illi ſobolem ſuſcitaret eiuſque vocaret nomine, quod inde naſceretur: quid aliud in figura præmonſtrat, niſi quia vnuſquiſque Euangelij prædicator ita debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri, hoc eſt Chriſto ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt: & quod ſuſcitatum fuerit eius nomen accipiat, &c.* & paulò inferiùs. *Numquid Paulus inquit pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? tanquam diceret, defuncto fratri vos genui Chriſtiani vocamini non Pauliani.*

INDEX

INDEX.

A

ADhortatio ad humilitatem exemplo Chriſti. pag. 12.
Alia ad credendum in fide ea, quæ non videntur, p.24.
Apoſtoli Eccleſiam coniugem Chriſti defuncti acceperunt. p 27.
Quomodo vocati, quos de illa genuerunt. ibid.
Auguſtus Imperator Caium filium toga induit, & Capitolium duxit eodem anno & fere die quo Chriſtus conceptus. p.30.

B

BAronii teſtimonium Natiuitatis Domini diem Solennem fuiſſe ab initio Eccleſiæ. p.36.
Bibliotheca Ciuitatis Hipponenſis illeſa poſt incendium ciuitatis à Vandalis illatum permanſit. p.7.

C

COllectorium Sermonum S. Auguſtini à Roberto de Bardis quando concinnatum. p.5.
Chriſtus multa & mirabilia faciens à multis tamẽ ſpernebatur & quare, p.26.
Chriſtus paruus idem & magnus pag.11.
Chriſti humilitas medicamentum. Superbiæ hominum. ibid.
Chriſtum poſt S. Ioan. Bapt. factum quomodo intelligendum. p.15.16. 17. & 18.
Chriſtus prior omni creatura. p.18.
Chriſtus creuit, & S. Io. Baptiſta imminutus eſt. ibid.
Chriſtum vt Deum creſcere non potuiſſe. pag. 20. in eo autem qui creuerit. p.21.
Conceptio & Natiuitas Chriſti quãdo accidit. p.28. & 35. & quare illo menſe ac die. pag. 29.
Conceptio & Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ quando accidit. p.30.
Conſideratio de Chriſto & S. Ioanne Baptiſta. p.19.
Credendo intelligunt fideles, p.23.
Credenda quæ non videntur. p.24.
Creatorem ex creaturis intelligendũ. ibid.

D

DEus quare factus eſt homo. p.11 & 26.
Deus omnia Verbo fecit. p.13.
Deus quomodo creſcere debet. p.19.
Deus creſcere, nec augeri poteſt. p.20.
Definitio Fidei. p.23.

Dies hebdomadæ, quo incarnatus, & natus eſt Chriſtus, qui fuerit.p.31. & 32.
Diſſertatio de tempore Natiuitatis Domini.p.33. Alia Gerardi Voſſij reſellitur.p.33.& 34.

E

Error aliquorum putantium diē feſtum Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ eſſe paſsionis eius.p.10.
Expoſitio verborum iſtorum S. Ioannis Baptiſtæ de Chriſto: Ante me factus eſt. *p.12.39.*
Item illorum: Illum oportet creſcere, me autem minui. *p.18.19. 20.27.& 38.*
Item illorum Ioan.1. Non erat ille lumen. *p.21.*

F

Fide intelligunt fideles.p.23.
Fidei definitio. ibid.

G

Generatio Chriſti temporalis nobis æternam præſtitit.p.37.
Gloria Dei eſt gloria hominis. p.21.

H

Haereticorum cæca, & inſana malitia in adducendis Sacræ Scripturæ locis. p.14.
Hæretici reſelluntur errantes circa tẽpus Natiuitatis Chriſti p.31.
Homo cur aliquid magnum ſe credere debeat.p.12.
Homo humiliandus, vt ſaluetur.p.20
Hominis ortus, & interitus cognitu difficilis.p.25.
Homo magnum miraculum. ibid.
Humilitas eximia S. Ioannis Baptiſtæ.p.10.& 18.
Humiliare ſe homo cur debeat. p.19.

I

Sanctus Iannes Baptiſta quomodo Dominum præcurriſſe intelligendus.p.10. & 38. quomodo imminutus ipſe, Chriſtus autem creuit.p.18. Pro quo idem paſſus ſit. p. 19 et 20. Typus humani generis.pag.20. Quomodo idem maior Apoſtolis.p.21. Erat tantùm lucerna ardens, et lucens. pag.22. Cur conceptus in æquinoctio autũnali, et natus in ſolſtitio æſtiuo. p.28.et 29.

L

Lex de accipienda vxore fratris ſui defuncti, quare lata .p.20. 27.39. & 40.
Lucerna erat ardens, et lucens S. Ioãnes Baptiſta. 22.
Lumen verum quomodo diſcernatur. ibid.

M

Martius menſis in Palæſtina nouarum frugum.p.31.